



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Tabellarii fides.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Nescio quid tecum græve cornicaris, inepte.

A Id Græce κωμίζεις, de garrientibus.

TABELLARIII FIDES. CAP. XXXI.

S Edenim, ea quæ ad Crocodilorum urbem supra sepulchrum quoddam Cornix in columna sublata erat, fidelem operam in tabellario munere præstitam indicabat: hujusmodi enim honos & sepulchri & columnæ habitus est olim Cornici à Marrhe Ægyptiorum rege, quod munus id diligenter obivisset, quo volandum, aut ubi sistendum, summa docilitate producta. Sepulchrum id visebatur ad paludem Myridis appellatum.

PROSPERITAS VITÆ. CAP. XXXII.

Iustum vitæ spatium ab homine feliciter decursum, Ægyptii sacerdotes hieroglyphice tunc intelligendum proponebant, cum Cornicem vita functum figurarent. Vivere enim Cornices, multos dicuntur in annos: & Lucretius, Cornicum secla vetusta dixit. Compertum vero est ex alitis hujus vivacitate, carnes etiam ejus in cibum sumptas, non tantum ad diuturniorem vitam conferre, verum etiã in longissimis morbis, & carnes esse, & nidum contritum illinere utilissimum. Quod autem tradiderunt Ægyptii centum eas annos superare, animadvertendum est, annos, de quibus sacerdotes illi mentionem faciunt, quadriennes esse singulos, ratione à Sotheos ortu supputata: quatenus scilicet superantibus unoquoque anno solari horis sex, integer demum dies unus, qui apud nos intercalaris habetur, apud illos integrum & perfectum annum absolvit. Quare qui annos eas fere quingentos vivere dixerunt, haud ita multum diversi abeunt ab Ægyptiis. Neque me præterit, Aristotelem arbitratum, nullum animal hominẽ diutius vivere præter Elephantum: quod si ad hujus ætatis spatia referamus, brevissima admodum erit vivaciorum animalium vita. Cæterum Ægyptiorum traditioni subscribunt plerique authores minime contemnendi, acceptissimumque illud apud omnes dictum, Cornice vivacior: ut non temere mihi videatur Hesiodus scripsisse:

ὄντα τοὶ κόμεις ἰσχυρὰς λακέρυζα κορώνη ἀνδρῶν ἡβῶταις.

Lib. 5. Quot annos vivat Cornix.

Citatur à Plutarcho. Περὶ τῆς ἐκλεικίας τῶν.

Ter tria secla hominis transmittit garrula cornix. Quatuor at peragit cornicis temporis ætas.

Multum senescens cornicem. Cicero pro Muræna. Et pro Flacco. Macro. lib. Saturni. D. Hiero. 2. adversus Rufinum.

C Et reliqua de animalium ætatibus ex gravissimis authoribus exploratissima. Quem secutus Plutarchus eo opusculo, quo bruta etiam ratione uti disserit, ὡν ἐκάστης, Φησὶ, ἀνδοποζένη ἀπὸ πῶ, ἔκ ὀλίγον χρόνον, ἀλλὰ ἐνεία χρηστεὶς ἰσχυρὰς ἀνδρώπων, quare ἰνιουαυμῆ, vir si occubuerit, non breve temporis spatium, sed novem hominum ætates vidua permaneat. Theon tamẽ in Arati carmine ἐνεα γηρῶν κορώνη non pro novem ætatibus, sed pro multis accipiendum censet, esseque tantundem ac si πελὺ γηρῶν κορώνη dixisset: eam enim esse novenarii numeri vim, ut pro multitudine accipiatur, de quo etiam in caudam Scorpii disputatum à nobis est, super Nicandri versu. Quinque itidem ætates hominum Cornicem vivere legas apud Aristophanem. Psalmodographus autem intra octoginta annos plurimum ætatem hominis conclusit, quæ summa in Cornice esset quadringentorum annorum. Atqui receptum est apud nostros ex Divinis Hebræorum literis, aliquos noningentos circiter annos pervixisse, qui, ut etiam ad veterem Ægyptiorum rationem supputentur, quadrimensibus annis ad calculum reductis, ut nonnulli accipiunt, erunt omnino anni rationis nostræ multo plures, quam nunc vivitur. Sed ut sacra mista faciamus, quorum fides à Theologis absque controversia est accipienda, nonne Seras adhuc populos supra CCC. annos vivere prædicant? Quare si fides rerum scriptoribus adhibeatur, nihil hic diversum ab aliis allatum ab Aristotele fatendum erit: si modo is nullum animal hominẽ diutius vivere professus est. Sed fuerit varia annorum ratio pro locorum & gentium institutis, dummodo uno aauthorum omnium consensu Cornix vivacissima reperiatur.

JUVENILIS SAGACITAS SENILI EXPERIENTIÆ

PRÆPOSITA.

CAP. XXXIII.

Illud ad hanc materiam facit, quod hujus vivacitatis ergo proverbium factum ajuunt, Cornicis oculo confingere, quo Cicero, Macrobius, & D. etiam Hieronymus usi sunt, volentes antiquitati vel subla-

Proverb. 1. tuncque applicatio.